

Bibliothecæ Regiæ Præfectus; quibus proinde viris Illustrissimis publicas hinc eo nomine gratias agimus. Ex his novem Codicibus, is, quem in Notis nostris *Paris. I.* appellamus, ex Bibliotheca Telleriano-Rhemenfi translatus est in Bibliothecam Regiam, ubi hodie exstat, signatus num. 2865.

Codex *secundus* fuit olim D. FRANCISCI DE CAMPS, Abbatis Signienfis, qui eum Anno 1607. obtulit Regi Christianissimo; in cujus Bibliotheca nunc exstat Parisiis, signatus num. 2243. Hujus Codicis descriptionem legere est in Viri doctissimi BERNARDI MONTFAUCONII *Palæogr. Græc.* Lib. III. pag. 602. ubi & specimen characterum, quibus Codex ille exaratus est, exhibetur.

Codex *tertius* fuit olim PETRI STELLÆ: postea vero sortitus est locum in Bibliotheca Regia, ubi nunc exstat num. 2862.

Codex *quartus* ex Bibliotheca Telleriano-Rhemenfi tranfit in Bibliothecam Regiam, ubi hodie præfert numerum 3424.

Codex *quintus*, Telleriano-Rhemenfis 57, nunc *Regius* 2865.

Codex *sextus*, olim Bibliothecæ Telleriano-Rhemenfis 56; sed nunc *Regius* 2244. in quo deest caput primum *Matthæi* totum, & secundi pars maxima, usque ad *παῖς* vers. 19. i. e. circiter duo folia. Hic Codex solus plures pene Lectiones Variantes nobis supeditavit, quàm reliqui Parisienses omnes.

Codex *septimus* minori caractere scriptus est, habetque Præfationem & Canones EUSEBII. Exstat in Biblioth. Reg. num. 3424.

Codex *octavus*, minori itidem caractere exaratus, cum elegantibus picturis, exstat in Biblioth. Reg. num. 2868.

Codex *nonus*, insignis vetustatis, olim fuit NICOLAI RODULPHI Cardinalis; nunc vero inter Codd. Bibliothecæ Regiæ locum habet, num. 1905. Hic Codex duplici constat scripturâ, vetere & recentiore. Recentior exhibet S. Ephræmi Opuscula; vetus, quæ sub recentiore latet, & pene oblitterata est, maximam partem Novi Testamenti; non ordine continuo, sed interrupto plane, & mirum in modum turbato. Librarius enim cùm Codicem illum veterem, qui Libros N. T. literis jam tum præ vetustate fugientibus descriptos continebat, dissuisset, ut membranâ ejus S. Ephræmi Opuscula inscriberet, in consuendo novo volumine nullam pristini foliorum ordinis rationem habuit: unde factum ut membra N. T. in hoc Codice temere hinc inde disjecta reperiantur. Primus, ni fallor, duplicem hanc dicti Codicis scripturam curiosis oculis observavit Cl. BOVINIUS, qui etiam ex veteris scripturæ, nondum penitus oblitteratæ vestigiis variantes quorundam locorum Novi T. Lectiones eruit, quas una cum reliquis huic Editioni inseruimus. Specimen autem scripturæ illius veteris exhibent viri doctissimi, BERNARDUS LAMY in *Appendice ad Commentar. in Harm. Evang.* & BERNARDUS MONTFAUCONIUS *Palæogr. Græc.* Lib. III. c. 3. apud quos etiam plura de hoc Codice legi possunt.

Hactenus de Collationibus Parisiensibus, præter quas trium aliorum Codd. Collationibus Editionem hanc locupletavimus. Ex his primo loco memorabimus eum, quem in Notis nostris *Lipsiensem* vocamus, quod eum possideat vir Reverendus JO. GOTLOB CARPZOVIVS, Ecclesiastes Lipsiensis. Hunc Codicem in usum nostrum contulit vir insigni humanitate & eruditione præditus CHRISTIANUS FRIDERICUS BORNERUS, S. T. D. & Græcæ Latinæque Linguae apud Lipsienses Professor, qui & sequentem Codicis ejus descriptionem nobiscum communicavit. *Codex est Græcus IV. Evangeliorum, membranaceus in 4. In principio cujusque Evangelii, effigies Evangelistæ unâ cum variis figuris depicta cernitur. Ordine præfixa sunt, non minus ac singulis paginis inscripta, τὰ κεφάλαια, quæ in MILLIANA Editione leguntur; tum 5 numeri, margine appositi, cum illis apud MILLIUM conveniunt. Variæ quoque in margine occurrunt notæ, quæ lectiones singulis diebus distinctas designant, videturque hic Codex usibus Ecclesiæ alicujus inservivisse. In fine possessoris alicujus nomen adscriptum est, qui vocatur Γεώργιος Δεσμοφύλαξ Ναυπλίου.* Subjecit deinde idem Vir Cl. specimen characterum, quibus Codex ille scriptus est; ex quorum figura colligo, Codicem illum sexcentorum annorum ætatem superare.

*Secundus* Codex est is, quem in Notis nostris SEIDELIANUM appellamus, itidem à possessore ejus SEIDELIO, Berolinensi, ante paucos annos defuncto, qui eum ex Græcia unâ cum aliis vetusti ævi reliquiis in patriam attulerat. In hoc Codice desiderantur IV. Evangelia; continentur autem reliqui libri N. T. omnes; cujus Collationem juvenis elegantis ingenii NICOLAUS WESTERMANNUS Berolino ad me transmissit; qui etiam Codicem illum septingentorum circiter annorum esse putat.

Ultimus